Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Rei Rusticae Scriptores.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

Visual Library

REI RUSTICÆ SCRIPTORES.

Regii per Bartholomæum Bruſchum alias Bottonum Regienſem MCCCCLXXXII.

GEorgius Alexandrinus Petro Priolo M. filio S. Priſcas dictiones de tribus rei ruſticæ Scriptoribus annotatas, ut tibi latinæ elegantiæ ſtudioſo patritio morem gererem, pro tempore breviſſime enarravi &c.

In fine.

M. [1] *B. Bartholomeo Bottono, al. Bruſco* S. P. D.

Etſi nihil gratius, nihilque jucundius, Vir amande, quam tibi morem gerere, duco, attamen quo me in imprimendis his voluminibus cenſorem elegeris, dubitavi (fateor) quidnam agendum eſſet. Advertebam enim quam moleſta, quam ardua, quam denique difficilis provincia foret. Qui quum antea non paucos codices volverem, ita confuſos adinveni, ut nonniſi acri judicio qui verus fuerit ſenſus diſcerni poſſet. Nixus tamen cum exemplaris correctione, tum clariſſimorum virorum induſtria, ne proculdubio facultatem non mihi deeſſe, modo voluntas adeſſet, arbitraveris, tum & ne tibi me non tam potuiſſe, quam tua cauſa noluiſſe perſuaderes, non potui facere quin provinciam ſuſciperem. Quare quum mihi non modo legere, ſed iſtud opus perlegere contigerit, tibi ſtudioſæque juventuti dixiſſe velim, tantam iſtis in operibus elegantiam, tantumque emolumentum ex eorum lectura vos omnes capere poſſe, ut brevi & in viros doctiſſimos evadere, & in rei ruſticæ notitiam devenire poſſitis. Quis enim, niſi prius Catonem, Varronem, & Columellam de re ruſtica viderit, majorum opera legiſſe profitebitur, non intelligo. Omnium enim rerum (ut inquit Cicero) ex quibus aliquid exquiritur, nihil agricultura melius, nil dulcius, nil libero homine dignius. Quamobrem qui muſarum nobilium, antiquitatumque cultores exiſtunt, hos ſecum comites habeant vetuſtiſſimos, hos amplectantur auctores, in his ſe poſtremo foveant, quos & Plinium quoque ſuis in libris inſeruiſſe non puduit. Iis etenim non rerum figmenta, ſed vitæ Mortalium neceſſaria experimenta tradiderunt. Quibus non paucos viros clariſſimos relictis compluribus intra civitates officiis, ſeſe tandem adiunxiſſe compertum eſt. Itaque non minori in pretio ac honore nobis huiuſcemodi inſtituta quam noſtris maioribus fuerint, habenda ſunt. Verum enim vero Palladium non omiſiſſe velim, qui ne modo quæ apud Catonem, Varronem, Columellam, Martialem, Magonem Carthaginienſem, atque alios tum græcos, tum latinos, qui de re ruſtica ſcripſerunt, tradita

[1] Etſi ſcriptoris nomen, quod ſub hiſce litteris M. B. latet, vix erui poſſe putarem, parum tamen abſuit quin crederem innui *Marinum Becichemum* Scodrenſem qui per ea tempora Brixiæ primum, poſtmodum Patavii humaniores litteras publice profitebatur. Nec deſtituebar coniecturis, quas bene multas ſuppeditaverat *Ap. Zenus* in Diſſertatione inter *Voſſianas* poſtrema, ad calcem Vol. II. cui titulus *de Marin. Becichemo* & de *Marino Barletio*. Verum quum præ manibus habuiſſem vetuſtiorem horum Scriptorum Editionem Romanam, nempe ann. 1474. in hac noſtra collectione pag. 117. memoratam, animadverti, præter *Georgii Merulæ* Præfationem ad *Perottum*, Epiſtolam, licet aliquanto breviorem, parum tamen ab hac diverſam ibidem haberi, iisdem prope verbis conſarcinatam, & *Nic. Jenſonio* Bibliopolæ inſcriptam (perinde ac noſtra hæc *Bottono*) ſub nomine *Franciſci Colucia Verzinenſis*. Quis ergo Œdipus? ego Davus.

Landesbibliothek Oldenburg